Zu der öffentlichen Prüfung

der Schüler

des Königlichen Gymnasiums zu Wetzlar

am 6. und 7. September 1849,

Vormittags von 8 und Nachmittags von 2 Uhr an,

sowie zu dem

Rede-Actus und der Abiturienten-Entlassung

am 7. September, Nachmittags 2 Uhr,

ladet

die Eltern und Angehörigen der Zöglinge, dessgleichen alle Freunde und Gönner des Schulwesens überhaupt und der Anstalt insbesondere

im

Namen des Lehrer-Collegiums

hochachtungsvoll ein

Dr. Johann Carl Leberecht Hantschke,
Königlicher Professor und Director.

Inhalt:

Wetzlar, 1849.
H. Gerlach's Buchdruckerei.

Notae criticae in libros aliquot Livii annalium.

Jn librum I.

Cap. 2, 3. (De Mezentio): «Qui — jam inde ab initio minime laetus novae origine urbis, et tum nimio plus quam satis tutum esset adcolis rem Trojanam crescere ratus cet.»

Latet vitium, nisi fallor, in his verbis. Dici quidem satis bene poterat «nimio plus», poterat etiam «plus quam satis tutum esset adcolis», sed utrumque conjungi, me judice, non licuit. Fortasse scriptum fuit «et tum (s. tunc ex uno cod.) nimirum plus quam satis tutum esset cet.» Sed certa salus ex melioribus demum libris mss. exspectanda erit.

Cap. 4, 9. (De Romulo et Remo): «Hinc — jam non feras tantummodo subsistere, sed in latrones, praeda onustos, impetus facere, cet.»

Defendunt interpretes hunc usum verbi subsistere ex alio Livii loco (IX, 31, 6.): sed egregia pars codicum ibi exhibet lectionem substinent s. sustinent; Drakenborchius ibidem monet, adjectis exemplis, librarios confundere solere voces subsistere et sustinere. Itaque nos utroque loco reponeremus sustinere. Quamquam nostro loco voci «subsistere» poteris etiam «feris» adscribere, casu tertio: ut est XXVII, 7, 3: «Italiam, vix Hannibali atque ejus armis subsistentem.» Cum quarto casu ab aliis saltem scriptoribus haec vox conjuncta non est.

Cap. 5, 6. (De Numitore): «Sciscitandoque eodem pervenit, cet.»

Eodem, puta, quo jam antea pervenerat suspicione. Miror Strothio et Doeringio hanc lectionem, quamvis multis libris mss. probatam, ineptam visam esse; male ex aliquot codicibus reposuerunt eo demum. Nec magis arridet, quod Lipsius suspicatus est, eo dein.

Cap. 7, 5.: «Aversos boves, eximium quemque pulchritudine, cet.»

Probo Strothium, jubentem legere: aversas — eximiam quamque: paullo enim post scriptor semper foeminino genere utitur. Libri scripti aut hoc loco mendosi sunt, aut illis.

Cap. 8, 3. (De duodecim lictoribus): «Me haud poenitet eorum sententiae esse, quibus et adparitores et hoc genus ab Etruscis finitimis, — numerum quoque ipsum ductum placet: cet.»

Alterum illud «et» ante «hoc» deleri jubet Jac. Gronovius, reponi rursus ante «numerum» Heumannus in epistola ad Drakenborchium data: quem probo. Sermo est primum de munere, tum de numero lictorum: quae res ut diversae sunt, ita tanquam ex opposito inter se conjunctae.

Cap. 9, 11. (De Sabinarum raptu): «Quasdam forma excellente, primoribus patrum destinatas, ex plebe homines — domos deferebant.»

Libri mss. praeter unum omnes et edd. vett. ante Gronovium habent excellentes: quam lectionem cur recentiores editores inde a Gronovio rejecerint, non perspicio. Proxime sequitur exemplum simillimum (sect. 12): «Unam, longe ante alias specie ac pulchritudine insignem.» Alia multa attulit Drakenborchius, nihilominus tamen Batavi magistri pedissequus, ex Livio omnia; ex quibus unum hoc adscribam (IX, 44, 4.): «virginem adultam, forma excellentem cet.» Nobiscum facit Alschefski in editione (maj.), qui ex lectione codicis Med. «excellente sunt», conjicit, librarium «excellentes» habuisse pro «excellente s̄».

Cap. 14, 7. (De Romulo): «Partem militum locis circa densa obsita virgulta obscuris subsidere in insidiis jussit: cet.»

Ex libris scriptis et impressis nulla medela; fugerat procul dubio librarios, «circa» h. l. esse adverbium. Obsitus ex constanti et aliorum scriptorum et Livii usu referendum est ad «loca», non ad «virgulta»: est nostrum: *bepflanzt*, *besetzt*. (Cf. II, 23, 3: «obsita [al. oblita] erat squalore vestis.» XXI, 54, 1: «rivus circa obsitus palustribus herbis.» XXIX, 16, 6: «Legati Locrensium, obsiti squalore et sordibus.») Legendum est igitur obsitis, non obsita; tum denso virgulto, non densa virgulta. Vocem «obscuris» aut conjungas cum «insidiis», aut — quod malim, quoniam omnes insidiae sunt obscurae — expungas ut glossam, ad explicationem illorum denso obsitis virgulto additam. Itaque locum sic restitue: partem militum locis circa denso obsitis virgulto [obscuris] subsidere in insidiis jussit: cet.

Cap. 17, 8. (Patres cum plebe post Romuli mortem) «ita gratiam ineunt — ut non plus darent juris quam detinerent.»

Sic Drakenborchius et Doeringius. Quidni retinerent? ut ediderat ex conjectura, opinor, J. Fr. Gronovius. Detinere enim est arcere ab aliquo proposito, «habet morandi occupandique significatum», ut monuit Heindorfius ad Cic. Nat. D. II, 47, 121.

Cap. 18, 3. (De Pythagora, Numae regis magistro): «Ex quibus locis, etsi ejusdem aetatis fuisset, quae (tres codd. qua, teste Alschefsk.) fama in Sabinos, aut quo linguae commercio quemquam ad cupiditatem discendi excivisset? quove praesidio unus per tot gentes, dissonas sermone moribusque, pervenisset?»

Ad verba «quae fama in Sabinos» interpretes supplent «penetrare potuisset»: id quod vix probabis. Locum transpositione partium orationis sanandum esse, jam J. Fr. Gronovius suspicatus erat, sed minus apte reposuerat: «Ex quibus locis, etsi ejusdem aetatis fuisset, qua fama, in Sabinos, quove praesidio unus per tot gentes dissonas sermone moribusque pervenisset? aut quo linguae commercio quemquam ad cupiditatem discendi excivisset?» Multo praestat Heumanni transpositio: «qua fama, aut quo linguae commercio quemquam ad cupiditatem discendi excivisset? quove praesidio unus per tot gentes dissonas sermone moribusque in Sabinos pervenisset?»

Cap. 21, 1. (De Numa): «Ea pietate omnium pectora imbuerat, ut fides ac jusjurandum, proximo legum ac poenarum metu, civitatem regerent.»

Aliquot libri mss. habent propulso legum etc. Utrumque haud dubie falsum. Apparet, latere sententiam, «fidem ac jusjurandum Romanis ex Numae disciplina pro legibus ac poenis fuisse.» (Sic Ovid. Fast. I, 251: Proque metu populum sine vi pudor ipse regebat.) Conjecit P. Nannius (Miscellan. V, 8): pro ipso; Tan. Faber: proxime legum ac poenarum metum; eandem lectionem et ad Muretum auctorem refert J. Fr. Gronovius et probat simul. Idem Gronovius antea proposuerat: pro summo legum ac poenarum metu. Liceat his conjecturis novam nostram subjungere: «ut fides ac jusjurandum pro timore legum ac poenarum metu civitatem regerent.» Nempe leges timentur, poenae metuuntur. Ex verbis vero pro timore quam facile potuerit fieri proximo, scripturae medii aevi gnaris non est quod uberius exponam. Littera t simillima est x litterae; re syllaba, ut assolet, superscripta per lineolam tortam, facile potuit excidere.

Cap. 23, 6. (De colloquio ante pugnam a Metto, Albanorum dictatore, proposito): «Haud aspernatus Tullus, tametsi vana adferebantur, in aciem educit.»

Jam alii recte monuerunt, unde scire potuerit Tullus, Mettum vana allaturum esse? Neque adeo attulit omnino talia. Jac. Sobius (in edit. Colon. a. 1525) ex conjectura ediderat: tamen, ac si vana afferentur: quod esset negligentius dictum pro: ac si futu-

rum esset ut vana afferrentur. Tan. Faber suspicatus est: tametsi vana afferri rebatur: absurde: nempe prudenter agebat in aciem educendo exercitum, si rebatur vana allatum iri. Repone potius: «tamen, si vana afferebantur, in aciem educit.» Germanice: *Tullus wies es nicht ab, doch für den Fall, dass Nichtiges vorgebracht werde, stellte er sein Heer in Schlachtordnung.* Breviloquentia quadam in verbis: si vana afferebuntur, latet haec fere sententia: «ne tum esset incompositus», s. «ut statim tum ad pugnam esset paratus.»

Cap. 24. 3.: «Foedus ictum — his legibus, ut, cujusque populi cives eo certamine vicissent, is — imperitaret.»

Lege: cujuscunque: dictum pro utriuscunque.

Ibid. 4. (De feciali): «Sagmina, inquit, te, rex, posco. Rex ait: puram tollito.»

Sigonius et Sobius ex vetere libro ms. publicaverunt pura. Etiam alii duo libri mss. sic exhibent, teste Drakenborchio. Ceterorum codicum lectio, si vitiosa est, videtur orta esse ex verbis sequentibus: «Fetialis ex arce graminis herbam puram adtulit cet.» Quamquam res dubia est his in solennibus verbis.

Cap. 31, 4.: «Mansit ceste solenne ut, quandoque idem prodigium nunciaretur, feriae per novem dies agerentur.»

Restitue quandocunque ex ed. Aldina et pluribus libris mss. In Livii codicibus saepius confusas reperimus voces quando, quandoque, quandocunque, quandoquidem: id quod inique Gronovium ad defendendam vulgatam lectionem commoverat.

Cap. 33, 4.: «Postremo — aliquamdiu ibi Marte incerto, varia victoria pugnatum est: cet.»

Aut resecanda sunt verba varia victoria, ex Crevierii monitu, ut interpretamentum, aut certe addenda conjungendi vocula, et vel que, ut dictum est II, 6, 10.: «Ibi varia victoria et velut aequo Marte pugnatum est.»

Cap. 34, 12.: «Bello domique cet.»

Repone belli domique ex uno codice Gebhardi, tribus Alschefskii. Suadet idem Livii usus satis constans.

Cap. 35, 2.: «Quibus (comitiis) indictis, sub tempus pueros venatum ablegavit.»

Praestatne, sub id tempus, ex uno codice? Monuit etiam Dukerus, omissionem pronominis nimis inusitatam esse.

Ibid. 3. (De Servio Tullio): «Quippe qui non primus, quod quisquam indignari mirarive posset, sed tertius Romae peregrinus regnum affectet: cet.»

Videtur quispiam reponendum esse pro quisquam: pars orationis interposita est vi affirmandi, non negandi, dicta. Sententia enim est: Tullius si primus Romae peregrinus regnum affectaret, aliquis (s. quispiam) indignari mirarive posset.

Cap. 37, 1. «Ex occulto etiam additur dolus, missis, qui magnam vim lignorum, in Anienis ripa jacentem, ardentem in flumen conjicerent; ventoque juvante accensa ligna, et pleraque in ratibus impacta, sublicis quum haererent, pontem incendunt.»

De variis hujus loci difficultatibus satis multa a viris doctis disputata sunt: quos si velis adeas. Ut censeas nil mutandum esse, saltem interpungendum erit post ratibus, impacta ad sublicis referendum. Rates enim, quum pons esset sublicia, non pertinuerunt ad pontem ferendum, sed adhibitae sunt ad ligna ardentia vehenda in pontem. Etiam Dionysio Halicarnassensi teste (Antiquitat. Romanor. lib. III. cap. 56: quem locum jam Doeringius attulit) «incensus est pons scaphis et ratibus igniferis» (diceremus nos, *mit Brandern* sive *Brandschiffen*). Sed impedit sensum vocula et; satis otiosa etiam est vox impacta. Quibus de causis vide an vox illa corrupta sit ex imposita; ut vero simul et voci propria sua vis reddatur, hunc proponimus verborum ordinem: «— conjicerent; et pleraque ratibus imposita ventoque juvante accensa ligna in sublicis quum haererent, pontem accendunt.»

Cap. 43, 2. (De prima classe civium Tulliana): «Arma his imperata, galea, clipeum, ocreae, lorica: omnia ex aere. Haec ut tegumenta corporis essent. Tela in hostem, hastaque et gladius.»

Dele que post hasta, cum Perizonio. Codices repugnant. Quae verba Alschefskius ex l. II. c. 5. ad defendendam lectionem attulit: «quum pater, vultusque et os ejus, spectaculo esset:» ea nos non movent.

Ibid. 9. «Ad equos emendos dena millia aeris ex publico data, et, quibus equos alerent, viduae attributae, quae bina millia aeris in annos singulos penderent.»

Necessaria esse videtur hujusmodi fere transpositio: «et viduae attributae, quae bina millia aeris in annos singulos penderent, quibus equos alerent.»

Cap. 46, 8. sq. «Celeriter adolescentem (Lucium Tarq.) suae temeritatis implet. Aruns Tarquinius et Tullia minor prope continuatis funeribus (i. e. morte sua) quum domos vacuas novo matrimonio fecissent, junguntur nuptiis (Tullia major et Lucius Tarquinius).»

His ita explicatis, non est quod probes Perizonii sententiam uno codice adjutam, reponere suadentis Lucius Tarquinius et Tullia minor: quamvis multi viri docti id probaverint. Parum constans h. l. sibi fuit Gronovius, qui, quum antea agnovisset Livii

2

figuram usitatam, qua posterius verbum non ad eos, de quibus loquatur proxime, referre assuerit, sed ad remotiores, tamen postea Perizonii partes agit. Doeringius et Alschefskius illam lectionem adeo in textum receperunt.

Cap. 53, 3. «(Tarquinius rex, Suessa Pometia capta) quum dividenda praeda quadraginta (al. quadringenta) talenta argenti aurique refecisset (al. cepisset, recepisset), cet.»

Libri manu scripti exhibent dividenda praeda vel dividendo praedam; unus, cod. Florent., divedenta praeda (Alschefskius e cod. Mediceo, qui esse videtur idem ille Florentinus, enotavit has lectiones: a. m. 1. dividenta; a. m. 2. dividenda; a. m. 3. devedenda.); libri editi ab Aldo ad Drakenborchium, sine codicibus, divendita praeda; J. Fr. Gronovius conjecit divendenda praeda. Jam vero probabilius est propter pecuniae numerum additum, sermonem fuisse de venditione praedae quam de divisione. Praeterea lectio illa, dividenda praeda, linguae ipsius legibus contraria est: debebat saltem esse, divisa. Idem contra Gronovium est monendum: ut aut retinenda sit lectio vulgata divendita praeda, aut, quo codicum vestigia multa spectare videntur, divendendo praedam reponendum.

Cap. 54, 10. «Largitionis inde praedaeque et dulcedine privati commodi sensus malorum publicorum adimi, cet.»

Edidit Vascosanus, Gronovio aliisque probantibus, me non prorsus improbante, privati dulcedine commodi. Possis tamen etiam sic transponere: et privati commodi dulcedine. Lipsius et Alschefskius graviter interpungunt post praedaeque, retinent largitiones ex libris manu scriptis.

Jn librum II.

Cap. 2, 1. «Quia quaedam publica sacra per ipsos reges factitata erant, ne ubiubi regum desiderium esset, regem sacrificulum creant.»

Ne ubiubi dederunt editores recentiores omnes praeter Alschefskium, ex conjectura J. Fr. Gronovii, minus, ni fallor, probabili. Nam ubiubi est: ubicunque est, *wo es auch immer sei, gleichviel wo;* sententiarum nexus autem postulat h. l. ne alicubi, *damit an keinem Orte, in keiner Beziehung, nirgends.* Efficitur hoc optima illa decem codicum lectione necubi: quam quum merito commendasset doctus Sigonius, editores inique rejecerunt, quamvis saepe apud Livium recurrat. Sic XXII, 2, 3. «(Hannibal) Hispanos et Afros — admixtis ipsorum impedimentis, necubi consistere coactis necessaria ad usus

deessent, primos ire jussit. Ibid. 16, 5. «Petendique montes et jugum Calliculae superandum esset, necubi Romanus inclusum vallibus agmen adgrederetur, cet.» XXV, 35, 9. «(Scipio) in id omni cura intentus, necubi hosti aequo se committeret loco.» XXXVIII, 49, 7. «Praestare, necubi notis sibi latebris delitescerent latrones Thraces, ne quid sarcinarum raperetur, ne quod jumentum cet.» Aliorum scriptorum testimonia indices et lexica dabunt. Simili modo Noster adhibuit vocem necunde pro ne alicunde, ut XXII, 23. extr. et XXVIII, 1. extr. — Alschefskius, quod satis mireris, edidit nec ubiubi, ex Rhenani archetypo Vormaciensi: quarum vocularum vim h. l. nemo tolerabit. Quinque libri mss. exhibuerunt necubi ibi, duo nec ut ibi, unus a. m. l. ne ibi, duo ne ullum ibi.

Cap. 4, 5. «Nam quum, pridie quam legati ad Tarquinios proficiscerentur, et coenatum forte apud Vitellios esset, conjuratique ibi, remotis arbitris, multa inter se de novo, ut fit, consilio egissent, cet.»

Vide an expungas et ante coenatum, quippe quae copula orationem reddat impeditiorem. Voluit idem jam Dukerus, nec non Doeringius, et, si huic fides, Crevierius; nec comparet particula in cod. Victorino, teste eodem Doeringio.

Cap. 9, 6. «Salis quoque vendendi arbitrium, quia impenso pretio venibat, in publicum omni sumtu, ademtum privatis.»

Gronovii emendationem omne sumtum merito receperunt editores fere omnes: sed Alschefskius ex conj. Divaei: omni sumto ad. pr. In notis locum sic interpretatur: *Auch wurde die willkührliche Bestimmung der Salzpreise den Privatpersonen entzogen, nachdem der ganze Vorrath des Salzes vom Staate aufgekauft worden.* Sed multo simplicius ex Gronovii conjectura publicum oppositum est privatis. Minus recte autem idem V. D. priorem hujus loci partem ita intellexit, ut putaret, «impenso pretio venire» esse, magno conductum esse; quemadmodum diceretur, vendere decumas, emere vicesimam, cet.» Nec audiendus est Forcellinus lexicographus, ubi docet, impenso pretio esse magno, testesque affert hujus rei Ciceronem et Caesarem et Livium l. l. Imo loco Ciceroniano (Ep. ad. Att. XIV, 13.) est: *für* (verwendetes) *Geld*, *gegen Entschädigung*; oppositum est gratis. In Caesaris commentariis (b. G. IV, 2.) et nostro loco in aliquot libris mss. legitur immenso pretio, quae lectio haud dubie genuina est; nam impenso pretio veneunt quaecunque venalia sunt. Referendum est vero illud pretium ad ipsum sal, non, ut pars interpretum voluit, ad arbitrium salis vendendi, et interpretandus locus ita: *Auch die Freiheit Salz zu verkaufen wurde, weil man es gar zu hoch verkaufte, ganz dem Staat zugeeignet, den Privaten genommen.* Quippe salis venditio, antea publicanis

concessa ita, ut ipsi ejus pretium statuerent plebis incommodo, posthac per publicos institores fiebat, pretio plebi salubriore a senatu fixo.

Cap. 14, 1. «Mos — usque ad nostram aetatem inter cetera solemnia manet bonis vendendis, bona Porsenae regis vendendi.»

Notandus est editor novissimus, quod nimia ut videtur in paucorum codicum vetustatem fiducia et reverentia motus, omisit verba bonis vendendis, ad intelligendum locum necessaria. Idem fecerat olim Doujatius. Reperiuntur vero in plerisque libris mss., probantur a Plutarcho (Popl. c. 19.), qui narrat, usque ad ipsius aetatem in vendendis bonis publicis primo publicari Porseni bona: quem quum apte attulisset Dukerus ad defendenda illa Livii verba, Alschefskius in contrarium finem adscripsit! Glossam putat fuisse verba quae omisit, ad removendam obscuritatem ab aliquo interpolatore additam. — Ceterum nescio an rectius reponas in bonis vendendis, e cod. Veithiano (variet. lect. ejus ex ed. Gothana Drakenborchianae addidit, uncis inclusam, V. D. Klaiber, cujus auspiciis haec editio Stuttgardiae denuo prodiit). Cf. Cic. in Verr. I, 54. «Ubi illa consuetudo in bonis, praediis, praedibusque vendendis cet.»

In librum XXI.

Cap. 4, 8. «(Hannibal) princeps in proelium ibat, ultimus conserto proelio excedebat.»

Repone confecto proelio ex quatuor libris mss.; unus habet conferto. Lectio vulgata, quae significat, *nach begonnenem Kampfe*, omnino ferri non potest. Quid enim? Hannibal si ultimus excedebat e proelio commisso, nemo amplius suorum pugnabat, proelium igitur etiam confectum erat. Sed quis tandem ita loquatur: *er ging zuerst in den Kampf, zuletzt nach dessen Beginn heraus?* nec potius: — *nach dessen Beendigung?* Multis quidem verbis Alschefskius ineptiarum arguit defensores alterius lectionis; tum suam, conserto proelio, quam interpretatur, „*wann der Kampf einmal begonnen hatte*“, his verbis conatur tueri: «Livius — cum ita scriberet, non id modo dixit, nisi finito proelio illum ab signis non abstitisse, sed etiam ab eo tempore, quo manus consertae essent, ad finem pugnandi in omnibus rebus, quibus milites ab imperatore suo adjuvari possent, suorum saluti prospexisse, neque quidquam, in quo ejus opera desideraretur, praetermisisse, antequam proelium finitum esset. Cf. XXIII, 6. confecto bello.» Verum enimvero, ut credi possit haec vel talia contineri implicite duobus illis verbis conserto proelio, utque non absurde sint opposita verbis proxime antecedentibus, fugit prorsus virum in excutiendis

libris mss. satis prudenter, quantum video, versatum, toto hoc loco non describi imperatorem Hannibalem, sed juvenem qualis fuerit, sive gregarius miles, sive paucorum dux, sub Hasdrubale imperatore! Quae res quomodo quemquam fugere potuerit, vix intelligas, quum in initio descriptionis luculenter dictum sit: «neque Hasdrubal alium quemquam praeficere malle ubi quid fortiter ac strenue agendum esset, neque milites alio duce plus confidere aut audere; et in fine: «cum hac indole virtutum atque vitiorum triennio sub Hasdrubale imperatore meruit, nulla re quae agenda videndaque magno futuro duci esset praetermissa.» Locus denique allatus ex libro 23. quo spectet, plane ignoro.

Cap. 5, 2 sq. «(Hannibal) Saguntinis inferre bellum statuit. Quibus oppugnandis quia haud dubie Romana arma movebantur, in Olcadum fines prius — induxit exercitum, ut non petisse Saguntinos, sed rerum serie, finitimis domitis gentibus, jungendoque tractus ad id bellum videri possit.»

Illud jungendoque Strothius explicat: *und durch Arrondirung;* similiter Alschefskius, cui manifestum est, verbis inesse illud hendiadys, quod latine interpreteris «ad conjungendam domitarum gentium seriem»; germanice: «*nach der Unterwerfung der Nachbarvölker durch die natürliche Verkettung der Verhältnisse und durch die Nothwendigkeit auch die von ihnen eingeschlossene Stadt der Carthagischen Herrschaft einzuverleiben.*» Idem fere dederat Fabri, cujus verba sunt: «*Das Richtige möchte sein,* jungendo *absolut zu nehmen: durch ein Anknüpfen, Anreihen, indem nämlich an die Bezwingung der benachbarten Völker sich manches knüpfte, was zum Krieg mit Sagunt führen könnte. Die Worte* finitimis domitis gentibus jungendoque *führen näher aus, was durch* rerum serie *angedeutet war.*» Sigonius ex vet. libro commendat jungendisque: debebat saltem esse junctisque, post domitis. In uno cod. est jungendo, quam lectionem probat Sanctius; in alio jungendaque. Doeringius ad lect. vulg. supplet Saguntino, satis audacter. Glareanus nomen aliquod substantivum desiderat. W. Weissenbornius (in Emendationibus Livianis, quas addidit Alschefskius parti III. editionis suae majoris, pag. 868 seq.) conjicit jungendoque ulteriora tractus. Alias aliorum conjecturas omittimus, ut nimis audaces aut parum fructuosas. Legendum est, nisi fallimur: «— sed rerum serie, finitimis domitis gentibus, jungenda tractus cet. Rerum serie jungenda est: *durch Verfolgen der genommenen Richtung* (der Eroberungen).

Cap. 10, 2. «Hanno unus adverso senatu caussam foederis, magno silentio propter auctoritatem suam, non adsensum audientium, egit.»

Libri vett. habent cum assensu; editores recentiores fere omnes merito receperunt Rubenii emendationem illam quam dedimus. Lenius etiam, ex Walchii conjectura, correxe-

runt Imm. Bekkerus (in editione Raschigiana) et Fabri: non assensu: quos probo. Alschefskius ed. non cum adsensu: quibus verbis efficitur languida repetitio: idem jam dictum est verbis illis «adverso senatu». Eadem vituperatio cadit in Weissenbornii conjecturam nec cum adsensu.

Cap. 22, 5. «Ab Gadibus Karthaginem ad hiberna exercitus rediit; atque inde, profectus praeter Etovissam urbem, ad Iberum maritimamque oram ducit.»

Veterum librorum verba, «praeter omissam urbem», editores jamdiu correxerunt ex Ptolemaei (II, 6.) urbe Ἠτοβήσα ad mare sita, itinere plus quam diurno proficiscentibus a Nova Carthagine. Non audiendus autem fuit Heinsius, qui edidit: profectus praeter Etovissam, urbem ad Iberum, maritimamque oram ducit; nec magis Gronovius, proponens: profectus, praeter Etovissam urbem, ad Iberum maritima ora ducit. Neque enim Etovissa urbs ad Iberum sita fuit, et ipsa Carthago Nova, unde proficiscebatur Hannibal, orae maritimae jam adjacebat. Nihil vero mutandum est praeter locum. Repone: profectus praeter Et. urbem maritimamque oram ad Iberum ducit. Ceterum editor novissimus dedit maritumam oram. Multo praestabat casus sextus, Gronovio commendatus. Weissenbornius conjecit maritima inde ora.

Cap. 23, 4. sqq. «Postquam per Pyrenaeum saltum traduci exercitus est coeptus, — tria millia inde Carpetanorum peditum iter averterunt. — Hannibal, quia revocare aut vi retinere eos anceps erat, ne ceterorum etiam feroces animi irritarentur, supra septem millia hominum domos remisit, quos et ipse gravari militia senserat, Carpetanos quoque ab se dimissos simulans.»

Jam Muretus monuerat, legendum esse et ipsos, i. e. similiter ut illos Carpetanos; probaverat J. F. Gronovius; sed frustra: excepto enim Imm. Bekkero reliqui omnes editores neglexerunt emendationem optimam. Alschefskius studio vere occoecato veterum suorum codicum lectionem defendere conatur: ut contra notissimam adeo linguae latinae rationem voces et ipse h. l. sic ei accipiendae videantur: *von denen er wohl gemerkt hätte, dass sie*, s. *von denen es ihm keineswegs entgangen war.* Quomodo praeterea etiam vulgarem earum vim, *auch er*, *er ebenfalls*, scilicet ut hanc praeferas, defendere studeat, supersedeo referre. Sed dicat mihi aliquis, qui tandem fieri potuerit, ut Hannibalem ipsum falleret, Carpetanos istos, quum iter injussu avertissent, militia esse gravatos! Dictum est hoc simul in multo acutiorem disputationem, qua Fabri codicum lectionem defenderat.

Cap. 26, 3. «Et P. Cornelius, in locum ejus quae missa cum praetore fuerat, transscripta legione nova, profectus cet.»

Variant libri mss. de voce fuerat: in multis est omissa, in cod. Berol. a. m. 2. est erat: quod recepit Alschefskius. Sed multo magis suspectum h. l. est verbum transscribere; quod si dicitur de militibus, est, ex uno in alium ordinem transferre. Testis est Forcellinus in lex. Itaque probo Weissenbornii conjecturam, conscripta. Non erit audiendus Fabri, qui censet, transsripta h. l. breviter dictum esse, hoc sensu: «scripta legione nova ac deinde in locum ejus — transscripta.» Simile nihil attulit in locis collatis.

Cap. 27, 1. «Jamque omnibus satis comparatis ad trajiciendum, terrebant ex adverso hostes, omnem ripam equites virique obtinentes: cet.»

Me non offendit, ut Doeringium, epexegesis; neque vero, quod mireris, antithesis virorum et equitum. Cave enim ne h. l. desideres pedites oppositos equitibus, aut equos viris: viros e longinquo visos discernere non potuit Poenus, essentne et ipsi equites, modo sine equis, an pedites, an omnino milites. Simile aliquid erit sentiendum de loco Caesaris, B. C. II, 39. «Capti homines equitesque producebantur.» Ceterum his nostris adde satis prudentem defensionem illorum virorum, quam Fabri dedit, et utram velis tibi elige.

Ibid. 7. «Postero die, profecti ex loco, prodito fumo significant se transisse et haud procul abesse.»

Pars Poenorum Rhodanum transierat loco superiore, Hannibal manserat in dextra ripa, sinistram ipsi oppositam Galli tenebant. — J. F. Gronovius bene monet: «Quid hi magis ex loco profecti quam quivis alii undecunque discedentes?» Suspicatur legendum esse: «— profecti, ex loco propinquo fumo cet.» Clericus: ex loco edito; unus cod. habet debito; alius a. m. 2. prodicto: quod sane ferri posset ita, ut esset pro praedicto, si hoc satis probari posset ex usu Liviano. Sed quibus locis illa vox apud Nostrum recurrit (II, 61, 7. 8. III, 57, 6. XXV, 13, 7. XXXVIII, 51, 5. 52, 1.), iis illud non probatur; tum libri mss. magnam partem exhibent praedictus et productus. Alschefskius ad fidem codd. expunxit se, id quod probes ex noto usu Liviano; tum, omni interpunctione deleta, retinuit prodito. Sed quid facies de hac ejus nota: «Non prodito fumo, sed ex loco prodito, i. e. edito, jungenda esse manifestum est»? Addit locum Polybii (III, 43.), quo narratur, fumo illos indicasse ex composito (κατὰ τὰ συντεταγμένον) se adesse; tum alium Livii (IV, 27, fin.): «inde fumo ut convenerat datum signum.» Reponendum est, nisi fallor, ex loco praedicto: convenerat enim haud dubie etiam de loco, unde fumus esset prodendus, inter Hannibalem et transituros flumen milites, ne scilicet error perniciosus forte intercideret.

Cap. 30, 7. «(Alpes) pervias paucis esse, exercitibus invias?»

Allita est vox invias margini cod. Pal. 3., recepta in ed. Mediol., tum etiam a plerisque editoribus. Nec immerito; verba hoc dicunt: «Alpes quum paucis (intellige Bojorum legatos cum regulo, qui adessent: cf. cap. 29, 6.) perviae fuerint, cur exercitui (Poenis) sint inviae? Quod male intellexit Strothius, qui, deleto signo interrogandi, addidit nec post esse. Alschefskius eodem loco e conjectura reposuit et, interrogandi signum restituit, invias expunxit. Verba haec, me judice nimis abrupta, — illud et, quod addidit, ne satis quidem latinum est — explicat eodem modo quo nos vulgatam lectionem, vel quo J. F. Gronovius suam) «pervias paucis esse: — non exercitibus?» — haud sane contemnendam. — Qui fieri potuerit ut omitterent librarii vocem invias, bene exposuit Fabri.

Cap. 31, 8. «Ob id meritum commeatu copiaque rerum omnium, maxime vestis, est adjutus (Hannibal), quam infames frigoribus Alpes praeparari cogebant.»

Restitue praeparare ex insigni librorum veterum numero; ratio qua defendere studet Fabri alteram illam lectionem, nos quidem non movet. Alschefskius, quum duo codd. illud quam exhiberent, reposuit quod ex aliis. Utique mireris, putare eum, «Livium id pronomen non ad vestis tantum sed ad omnia ea quae copia rerum omnium continerentur, referri voluisse.» Jam vero dicat mihi aliquis, quid tandem armorum vel frumenti copia contra frigora adjuvabat? Tum, si praeter vestem etiam ad alias res hoc pronomen respicere poterat, praestabat saltem quae sumere, quam lectionem tres codices tuebantur.

Cap. 32, 7. (De horrenda Alpium specie): «Tum, quamquam fama prius — praecepta res erat, cet.»

Malim percepta, ut vetustissimi duo codices, Mediceus et Colbertinus, teste Alschefskio, exhibent m. 2. Nam devitatur sic pleonasmus: etiam J. F. Gronovius, si quis offendatur, jubet delere prius vocem. Neque exemplum a Drakenborchio ex poeta (Lucret. VI, 1046.) allatum sufficiet ad Livium defendendum. Sed nihil esse mutandum concedes ex multis ejusmodi pleonasmorum exemplis ab Livio admissis, quae attulit Fabri ad cap. 20. sect. 8. hujus libri. Addas his aliud quod legitur XXII, 38, 11: «Se consilia ante tempus immatura non praecepturum.»

Ibid. 10. «(Hannibal) luce prima subit tumulos, ut ex aperto atque interdiu vim per angustias facturus.»

Quid autem, dicas, si hostes non defendent angustias? Ubinam vis tunc erit? Extorsit editor novissimus verbis hanc explicationem: «tamquam si vi impetuque transitum per angustias patefacturus esset.» Accedit quod vix reperies dictionem vim facere, sic nude

positam, apud alios scriptores latinos. Usurpata quidem est a Terentio aliquot locis, et a JCtis, vel etiam a Cicerone, sed ita semper ut addita sit tertio casu res vel homo cui vis fiat. Loco vero illo Liviano, quem viri docti in suam rem attulerunt, XXXVII, 9, 8. «Utrum recto itinere per castra hostium vim facere conaretur», viam legendum est ex quatuor codicum auctoritate. Adde etiam alium, XXXVI, 16, 3: ubi quum de Thermopylis dixisset Livius, «haec una militaris via est qua traduci exercitus, si non prohibeantur, possint,» pergit de Antiocho: «quum permunisset omnia, satis fidens, nunquam ea vim Romanum exercitum facturum cet.» Etiam h. l. unus cod. habet ea via, duorum margines et bona pars editionum veterum veram lectionem ea viam. Itaque etiam nostro loco servatum est viam in recentioribus saltem quibusdam libris, in uno iter inter versus adscriptum. Viam s. iter facere s. facessere tam vulgares sunt elocutiones, ut etiam sine nominibus eodem sensu saepissime occurrant. Ambiguitas lectionum videtur profecta esse ex Graeco βιάσασθαι ὁδὸν, viam vi aperire: unde quibusdam adeo venit in mentem locis illis Livianis praeter necessitatem reponere viam vi, in auxilium vocato loco Virgiliano, Aen. II, 494: «fit via vi», et Liviano, IV, 38, 4: «quacunque incedunt, vi viam faciunt.»

Cap. 33, 4.: (Montani hostes) «perversis rupibus juxta invia ac devia adsueti discurrunt.»

Omnes libri mss. quantum video, habent decurrunt; discurrunt dedit primus Aldus. Recentiores editores plerique codicum auctoritatem secuti sunt; sed videtur ea lectio hoc loco ferri prorsus non posse, quia ex praecedente narratione luce clarius apparet, Poenos superiora loca tenere, hostes montanos ex inferioribus impetum facere. [Cf. cap. 32. fin. (Hannibal) «iis ipsis tumulis, quos hostes (pridie) tenuerant, consedit.» Cap. 33, 2. «Jam montani — conspiciunt alios, arce occupata sua, super caput imminentes, alios via (angusta) transire hostes»] Ad defendendum vero iter suorum per viam angustam Hannibal loca illa altiora praeoccupaverat. — Tum quid sit perversa rupes, vix poterit dici: ut bene jam monuit Drakenborchius contra Crevierium, Doeringius contra Strothium. Attulerat ille «Perversum diem» ex Plaut. Menaechm. V, 5, 1. et «Perversum numen» ex Virg. Aen. VII, 584: quibus locis perversus est i. q. nefastus, infestus. Nec magis commode Strothius contulit ad explicationem locum ex Senecae libro De ira (I, 16.): «Etsi perversa induenda magistratui vestis», i. e. incommoda; neque credas quod etiam magis eidem placuit, «perversas rupes esse transversas seu obliquas.» Neque vero probabis, opinor, Alschefskium, putantem, «esse i. q. praeruptas deruptasque; perversum enim omne id esse quod contra sit atque esse oportuerit: hoc igitur loco, quod invium sit ac devium. Videri enim h. l. devium non id significare, quod,

quum procul a via fuerit, hominum vestigiis tritum non sit (laudat III, 13: «devio quodam tugurio.»), sed quod praeceps atque declive sit; nec invium id esse, quod, quamvis in plano sit, tamen propter multas iniquitates vix iniri possit, sed scriptum videri ut 38, 2. rupes inviae, 43, 23. radices montium prope inviae dicantur.» Haec sane mirum in modum sunt perversa. Imprecanda est lectoris venia, quod per invia ac devia eum deduximus a proposito fine. Doederlinus (Synon. I. p. 69.) putat, perversas rupes esse saxa abrupta et eversa (*abgelösete und umgestürzte Felsblökke*): refellit hunc Fabri. Sed quid multa? Nobis perversae res esse videntur oppositae rectis, nostra voce *verkehrt*, vario suo sensu; ut illud invium *unwegsam*, devium *aus dem Wege*, *auf Umwegen* oder *Abwegen;* nec ferendae erunt illae perversae rupes. Unus liber ms. exhibet diversis: quam lectionem Kreyssigius et Fabri receperunt. Sed quid ad rem, unane fuerit rupes an plures, per quas irruerent hostes? Idem fere efficit Walchii conjectura, diversi: id quod jam Fabri notavit. J. F. Gronovius conjecit: per transversae rupis juxta invia ac devia. Sed quid est transversa rupes? Hoc autem recte vidit V. D., quartum casum, quo posita sunt verba, invia — devia, trahi non posse ad verbum discurrunt, sive, ut ille legit, decurrunt; sed desiderari vocem ex qua pendeant illi accusativi casus. Neque enim poterunt ii referri ad vocem adsueti, quemadmodum rem expedire voluit Fabri: non enim propterea, quod verbum assuescere a Livio saepius cum infinitivo modo conjunctum est, semel etiam cum secundo casu, etiam quartum casum h. l. admissum esse censere licet. Affert in eandem rem etiam locum Virgilianum, Aen. VI, 833. «Ne tanta animis adsuescite bella»: sed hic usus et poeticus est et a nostro loco tamen quodammodo diversus. Verum etiam minus concedas Alschefskio, qui in eundem finem attulit haec Livii verba, cap. 34, 5: «Circumspectans sollicitusque omnia incedebat.» Cui incommodo ut mederetur, Walchius proposuit, invio ac devio; Buettnerus (Fabri verba exscribo), in invia ac devia: cujus structurae Fabri exempla quaedam attulit, quorum unum Livii quidem est (XXIV, 5, med.), sed editoribus suspectum. Nec magis arridet, vocem adsueti sic nude adscribere, ut Gronovius voluit. Sed vide num variis his difficultatibus medelam afferre liceat sola vocularum ad et per commutatione: Adversis rupibus juxta per invia ac devia adsueti discurrunt; i. e. *Der Felsen im Wege gewohnt eilen sie eben so auf unwegsamen Pfaden wie Umwegen* (zum Angriff) *auseinander.* Assueti enim ad rupibus referendum est, discurrunt ad verba illis interposita, ex transpositione Livio satis usitata. Neque tamen adversabor, si malis legere: «Adversis rupibus adsueti juxta cet.»

Cap. 34, 4. «Hannibal nec temere credendo (legatis Gallorum fraudulentis), nec aspernando, ne repudiati aperte hostes fierent, — nequaquam ut inter pacatos, composito agmine duces eorum sequitur.»

Tres libri mss. dederunt incomposito, tum editiones veteres ante Gronovium, signo interpungendi posito post nequaquam. Idem nuper restituerunt prudentes editores, Bekkerus, Kreyssigius, Fabri. Verte: *mit durchaus nicht, wie in Freundes Land, ungeordnetem Zuge.* Defensionem bonam addidit Fabri in notis. Singulari omnino ratione alteram lectionem, composito, defendit Alschefskius: contendit enim, «quum h. quidem l. necesse esset dici, non quid non esset factum, sed quid factum esset, antiquam scripturam „conposito cet." multo altera potiorem esse.» Quasi non dicas quid sit factum, si dicas, Hann. secutum esse duces agmine haudquaquam incomposito. Tum addit locum (XXIV, 35.) Livii, quo legitur agmine composito (edid. conposito); de argumentis autem quae Fabri attulit, altum silentium!

Cap. 35, 11 sp. «Omnis enim ferme via praeceps, angusta, lubrica erat: ut neque sustinere se a lapsu possent, nec, qui paullulum titubassent, haerere afflicti vestigio suo, aliique super alios, et jumenta et homines, occiderent.»

Bene monuit ad h. l. Doeringius, «se non videre, quomodo ii, qui a lapsu se sustinere nequeant, discrepent ab iis, qui, dum paullulum titubent, firmiter vestigio suo insistere nequeant. Huic incommodo optimam medelam attulisse Crevierium, ratum, particulam nec post titubassent transponendam esse.» Quos probo: ut etiam Heusingerus et alii fecerunt. Quae disputavit Fabri contra discrimen, a V. D. Baumgarten-Crusio statutum h. l. inter lapsum et afflictum, ea satis quidem recta sunt ipsa, sed non redarguunt Crevierium et Doeringium. — Vox afflicti inique suspecta fuit Drakenborchio et Strothio: ut affixi proponerent. Sed adeunda sunt lexica. Est h. l. «cum vi in terram procumbere.» Nos nolumus post Fabri adnotationem acta agere. (Locus quem nude ex «Plauto» hic laudat, est ex Mostellaria). Haerere vestigio esse, «loco restare quo quis eeciderit,» et occidere non esse «procumbere» vel «praecipitari», ut omnes fere interpretes explicaverint, sed etiam h. l. notam suam vim «pereundi» servare, idem V. D. bene monuit. Adjunxit se istis interpretibus etiam Alschefskius, qui interpretatur vocem, *hinunterstürzen*, censetque, «manifestum videri, occidere h. l. id quod praecipitari significare.» — Nos locum sic explicamus: *so dass, wer nur ein wenig geschwankt hatte, sich nicht vor dem Fallen schützen, und die zu Boden gestürzten sich nicht auf der Stelle wo sie gestanden halten konnten* (ut in via praecipite et lubrica: sed delaberentur in praeceps), *und Vieh und Menschen übereinander*(stürzend) *umkam.*

Cap. 36, 1. «Ventum deinde ad multo angustiorem rupem, atque ita rectis saxis, ut aegre expeditus miles tentabundus, manibusque retinens virgulta ac stirpes circa eminentes, demittere sese posset.»

Illud tentabundus de manibus vulgo intelligunt interpretes: et sane his tentare solemus in tali opere, num satis firma sint et valida virgulta ac stirpes, hominique ferendo idonea. Sed nescio an melius tamen legatur tentabundus manibus, retinensque cet.; vel, manibusque tentabundus retinens cet.; vel denique recipiatur lectio codicis Harl. 2., tentabundus pedibus, manibusque retinens cet. Similiter saltem legimus infra (s. 7): «nec stirpes circa radicesve, ad quas pede aut manu quisquam eniti posset, erant.» Probabit tibi quivis puer, de muro vel declivi rupe descendens: pede incerto atque tentabundo manum levat et sustentat.

Ibid. 5. 7. «Tetra ibi luctatio erat. Ut a lubrica glacie, non recipiente vestigium, et in prono citius pede se fallente, et, seu manibus in adsurgendo seu genu se adjuvissent, ipsis adminiculis prolapsis, iterum corruissent, nec stirpes circa radicesve, ad quas pede aut manu quisquam eniti posset, erant; ita in levi tantum glacie tabidaque nive volutabantur.»

Mendosum est in his verbis primum illud pede se fallente. J. F. Gronovius proposuit, pedem fallente; Drakenborchius, leviori etiam mutatione, pedes fallente: quem probo, ut fecerunt paene omnes editores recentiores. Unus Alschefskius e more suo revocavit codicum lectionem, hoc adscribens in notis: «Ut animus fallitur aut se fallit, sic etiam pes fallitur aut se fallit dici poterit.» Post erat Kreyssigius, Bekkerus, alii levius interpunxerunt, post fallente gravius: nempe ut melius sic expedirent aliquem sententiarum nexum, quem tamen esse perturbatum vix negaveris. Kreyssigius et Alschefskius reposuerunt, ut, seu manibus — corruerent; Bekkerus, et — corruebant; plerique editores recentt., et — corruerent. — Verba, ipsis adminiculis prolapsis, leguntur in plerisque libris scriptis; in uno, prolapsi si, quod probavit Gronovius, recepit Fabri. — Tum corruissent est in plerisque; corruerent praebent quinque vel sex libri mss., testibus Gronovio, Drakenborchio, Alschefskio; unus, eodem hoc teste, corruerant. Denique itaque in levi, quod Gronovio placuit, reperitur in veterr. quibusdam editionibus, in codd. non exstat. — Nobis, ut verum fateamur, editorum adhuc nullus ab omni parte satisfecit in hoc loco restituendo. Post luctatio erat graviter interpunge. Quae sequuntur constant duabus partibus, quarum prior finitur verbo corruissent (s. corruerent). Pendet haec pars a voce ut, i. e. *sobald als*, *wann*, quae, quia conjuncta est cum rebus praeteritis iteratis, admisit modum conjunctivum quem dicunt temporis

praeteriti. (Cf. Zumpt. gr. lat. § 569 sq.) Hanc partem priorem apte excipiunt sequentia: ita tamen ut verba nec — posset subjungas voci volutabantur. (Erant expunge, vel saltem a posset remove.) Sic efficitur, ut incipiat hanc apodosin particula ita, quae sensu, *alsdann*, respondet illi ut, nec rem negatam subjungat. Habebis enim haec: Tetra ibi luctatio erat. Ut a lubrica glacie, non recipiente vestigium, et in prono citius pedes fallente, seu manibus in adsurgendo seu genu se adjuvissent, et ipsis adminiculis prolapsis iterum corruissent (s. corruerent), ita in levi tantum glacie tabidaque nive volutabantur, nec stirpes circa radicesve (erant), ad quas pede aut manu quisquam eniti posset.

Ibid. s. 8. «Jumenta secabant; interdum etiam, tum infimam ingredientia nivem, et prolapsa jactandis gravius in continendo ungulis, penitus perfringebant: cet.»

Plerique libri veteres habent secabantur, unus necabantur, unus sectabantur, unus secabant. Haec lectio vera est: secabant spectat ad nivem; ceterae pravae verborum disjunctioni haud dubie debent originem, — quam Gronovius primus sustulit. — Interdum etiam tum, quae verba esse genuina videntur, dederunt solae editiones principes: libri mss. quinque, int. etiam tam; ex hoc vitio ortum esse videtur aliud illud, int. etiam tamen, ut legitur in quatuor codicibus. Unus vocem dubiam prorsus omisit. Weissenborn. audacius suspicatur, int. etiam in tabe. Illud tamen receperunt Kreyssigius et Alschefskius: facilius probari posset, si legeretur saltem interdum tamen etiam infimam ing. n., i. e., *das Lastvieh schnitt jedoch bisweilen selbst in den untersten Schnee beim Auftreten ein.* Nos Gronovium probamus, jubentem scribere: Jumenta secabant interdum etiam tum infimam ingr. nivem. Probaverat eum etiam Walchius, sed ita, ut voces etiam tum explicaret hoc modo: «etiam eo adhuc tempore, quo ingrediebantur infimam nivem.» Huic explicationi bene obloquutus est Fabri: qui tamen vocem tum, ut suspectam, uncis inclusit. Est potius etiam tum i. q. «quamvis nix recens jam tegeret veterem illam fere jam in glaciem mutatam»: nempe non amplius secabant pedites, ut pondere leviores (cf. s. 7. «glacie, non recipiente vestigium cet.»). Interpretare igitur: *Das Lastvieh schnitt bisweilen selbst da noch in die unterste Schneelage beim Auftreten ein,* u. s. w. (intellige: ubi peditum pedes glacies lubrica falleret). — In sequentibus Tan. Fabri praeclara emendatio, in connitendo, i. e. in conatibus surgendi factis, suo jure ab editoribus recepta est. Exempla cum usum probantia interpretes attulerunt: quos sis adeas.

Cap. 40, 7. (Scipio ad milites): «Nisi creditis, qui exercitu incolumi pugnam detrectavere, eos, duabus partibus peditum equitumque in transitu Alpium amissis, — quum plures pene perierint quam supersunt —, plus spei nactos esse.»

Gronovius, quum bene monuisset, duabus ex tribus partibus amissis, non posse non periisse plures, delevit illud pene; in ejus locum commendavit foede: quam mutationem Drakenborchius probat. Minus recte: nam de foeditate illius jacturae milites Romani h. l. non erant monendi. Rubenius scripsit, plane. (Poterat etiam aptius reponere, sane). Gruterus totam parenthesin pro panno habet purpurae ad marginem primum adsuto, deinde recepto in textum. Scriptum fuisse ad oram: «Quod plures Poeni perierint quam supersint.» Etiam Doeringio glossam sapiunt haec interposita. Nec minus Strothio: qui pene delevisset, si is unus sanandi modus esset: sed fieri etiam potuisse, ut vocabulum duplo ante plures exciderit. Raschigius ceterum probat illam Gronovii dubitationem, sed pene vocem studet defendere. «Quid autem», pergit, «si pene non ferme, sed penitus significat?» quemadmodum apud Plancum in Cic. ep. est: «Non pene sum deceptus.» *) Baueri excusationem, paene esse i. q. utique, certe, et eo fine adhibitum esse, ut antecedentia, quoniam fidem quodammodo excessissent, aliqua ex parte restringerentur, Fabri redarguit in notis ad h. l. Hic vero uncis inclusit vocem, ut suspectam. Soli Alschefskio difficile quidem visum est intellectu, qui facere potuerit Livius eodem loco P. Cornelium tam diversos numeros perditorum Poenorum significantem: sed excusationem agnoscit in poetarum et oratorum consuetudine, qui res modo augere modo minuere soleant, prout rationes explicandarum rerum ferant. At quomodo, quaeras, ratio tulerit, res tam contrarias, quarum si altera est, altera esse non potest, uno quasi pectoris spiritu evolvere? Utri tandem rei fidem tribuissent audientes milites? Imo omnem potius fidem omnino orator ultro sibi derogasset. Noli dubitare: una sententia est genuina ipsius Livii, altera spuria; haec vero orta videtur ex varietate veterum testium de numeris amissorum in Alpium transitu Hannibalis militum. Cf. de illa testimoniorum discrepantia cap. 38, 2, sqq. Spurius vero est prior numerus, de duabus partibus amissis, genuina altera sententia, plures paene periisse quam superesse. Perspicies hoc primum ex aperto verborum lusu, quo voci plures deinceps oppositum est plus spei cet. Tum e Polybio, cujus vestigia tota hac narratione pressit Livius, narrante (III, 60.), dimidium paene (σχεδὸν) exercitus Punici periisse. Postremo ex ipso Livio. Recognosce enim mecum ejus numeros. Nonaginta millia peditum,

---

*) Errat V. D. Verba sunt ex Epist. ad famm. X, 23, 1. «Non hoc vitio (credulitatis) paene sum deceptus: — Pudor me cet.» Germanice: *Nicht dieser Fehler ist es, der mich beinahe ins Verderben geführt hätte.* Nam revera non est deceptus. Cf. sect. 3: «Dedi operam ut et celeriter me reciperem et hic discessus nihil fugae simile haberet, non miles ullus, non eques, non quidquam impedimentorum amitteretur cet.» Itaque immerito illud paene Ernestio fuit suspectum.

duodecim millia equitum Hannibal Iberum traduxit (cap. 23, 1). Ad obtinendam regionem Hispaniae, subjectam Pyrenaeis montibus, Hannoni dat ex illis decem millia peditum et mille equites (sect. 3.); tum domum redeunt tria millia Carpetanorum (sect. 4.), aliorum gentium supra septem millia (sect. 6.). Ex his efficitur, Hannibalem intrasse Galliam cum LXXXI fere millibus militum. Jam vero si conferamus cum hoc numero ea quae cap. 38, 3, sqq. tradit Livius, scribere L. Cincium Alimentum, captum se ab Hannibale ipso audisse, hunc, postquam Rhodanum transierit, triginta sex millia hominum amisisse: satis accurate haec congruunt cum verbis illis nostris: quum plures paene perierint quam supersunt: praesertim si consideres, haec verba Romani (Scipionis) esse, illum numerum ab ipso Poeno concessum. Postremo satis bene quadrant cum hac nostra numerorum ratione, quae, biennio fere post, Q. Fabium dicentem facit Livius paullo ante cladem Cannensem ad proficiscentem Roma Aemilium Paullum consulem (XXII, 39, 14): «Partem vix tertiam exercitus ejus habet, quem Iberum amnem trajecit; cet.» Fuit autem pars tertia, ex nostra illa ratione, XXVII millia hominum, ut restiterint Hannibali ad summum XXX fere millia. Biennio ante Alpes superaverat cum XLV millibus: ita efficitur jactura XV, ad summum XVIII millium in hoc temporis spatium.

Cap. 43, 3. sq. (Hannibal ad milites): «Ac nescio an majora vincula majoresque necessitates vobis quam captivis vestris fortuna circumdederit. Dextra laevaque duo maria claudunt, nullam, ne ad effugium quidem, navem habentibus. Circa Padus amnis, major Padus ac violentior Rhodano; ab tergo Alpes urguent, cet.»

Libri mss. plerique dederunt «circa Pad. amnis»; cod. Berol. solus contra: quam lectionem quum merito revocasset Strothius, Bekkerus, alii, Fabri vero etiam satis valida ratione defendisset, Alschefskius ad priorem errorem rediit, quem sic conatur defendere: «Videtur Livius scribere voluisse «circa nos et Padus et Alpes sunt», sed cum appositionis loco quaedam ad Padi nomen adjecta vellet, novo quoque verbo ad Alpium nomen opus esse sibi persuasit: *rings um uns her ist der Po, der Po, grösser und reissender als der* (sic) *Rhone: im Rücken stehen die Alpen* u. s. w. Ad particulam circa probandam Drakenborchius similem locum 27, 18. laudavit, ubi sic scriptum est: «Fluvius ab tergo, ante circaque velut ripa praeceps oram ejus omnem cingebat.» Sed quis non intelligit, id quod etiam Fabri jam novem annis ante in adnotatione ad nostrum locum exposuerat, circa l. c. esse i. q. dextra laevaque, s. utrinque. Quid, quod praeclari hujus libri nulla unquam, quantum video, mentio est facta: ut paene credas eum inspectum non esse a viro critico nisi in scribenda praefatione. — Navem habentes maluerunt scribere Fr. Gronovius. Graevius, Perizonius, Doujatius, Crevierius, Drakenborchius. Vocem claudunt

